

Johann Cothmann Adam Wercampius

**Disputatio Tertia Qua Nonnulla Adversariorum Krsphygeta, Veritati Orthodoxae Sine Solido Fundamento Opposita considerantur ...**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737815507>

Druck Freier  Zugang



Vert. A. Werkamp

Joh. Cothmann / 6

R. N. Theol. 1643.



DISPUTATIO TERTIA

22.

*Qua*

NONNULLA AD-  
VERSARIORVM ΚΡΗΣΦΥ-  
ΓΕΤΑ, VERITATI ORTHODO-  
XÆ SINE SOLIDO FUNDAMENTO OPPO-  
sita considerantur, & ex DEI verbo, unicâ re-  
rum credendarum regulâ, examinantur, quò  
iplos Pontificios Quinti Evangelij esse profes-  
sores clarè demonstratur.

*Quam*

CHRISTO unico salutis  
nostræ Auctore,

PRÆSIDE

JOHANNE COTHMANNO,

SS. Theol. Doctore & Professore publico,

*publica eruditorum censura*

*submitit*

ADAMUS WERKAMP,

Hervordiâ - Westphal.

*In ængoa. me.º Majori 27. Januar. 23 Martii*

Ⓞ (o) Ⓞ

ROSTOCHII,

Typi NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DE. XLIII.



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Pruden-*  
*tissimisque*

DNN. CONSULIBUS,  
SCABINIS ET SCHOLAR-  
CHIS, TOTIQUE SENATORUM  
ORDINI, LIBERÆ IMPERIALIS  
CIVITATIS HERVOR-  
DIENSIS,


Patronis, Fautoribus & Promo-  
toribus suis devenerandis.

*Exercitationem hanc Theologicam,*  
*de voti in patria sue patres animi*  
*testandi ergo,*

Confecrat

RESPOND.





**I**mpetit antiqui proles infausta Draconis  
 Ariete <sup>non</sup> haurit uno, vario ast conaminis astu  
 Sacrum Euangelion, quod tantum sanguine Christi  
 Apprensus fidei dextrâ, salvemur, & absq;  
 Quod meritis dentur nobis cœlestia regna.  
 Hoc etiam contra insurgit furialibus ausis  
 Esauita, vocatq; (piis suspecta JEHOVÆ  
 Dogmata salvifica ut reddat, turbetq; fideles)  
**Q**UINTUM EUANGELIUM. Sese his furialib' ausis  
 Opponit nostri clarissima stella Lycæi,  
 Cothmannus, fraudes hominis tectasq; retexit,  
 Defendensq; fidem prosternit fortiter hostem.  
 Tu quoq; Werkampi, metuens nil hostica tela,  
 Scripturæ Sacræ clypeo munitus & ense,  
 Propugnans pariter sacratum hoc dogma JEHOVÆ,  
 Ingeniisq; doces quod sint doctissima dona.  
 Alma Trias faxit, celebri quò munera tanta,  
 Multa, tui ingenii, Patriæ dent commoda quondam.

*Convictori suo his gratulari voluit*

**M. MATTHÆUS WJEE**  
 Hamburg.

---

Eximia Probitatis ac Eruditionis Juveni  
**ADAMO WERKAMP,**  
 de Justificatione disputanti.

**N**ON monumenta ruunt, nec famâ fama carebis,  
 Laude sed usque recens in postera secula cresces.

*Leuch.*

*Leucorceos almanon ultimus, HULSEMAN, umbo,  
Quod tua sedulitas, ac experientia sacri  
Codicis, errores & turpia sphalmata GROTÏ  
Detexit mundo, quæis JUSTIFICATIO ab ipso  
Ceu nevis maculata fuit: WERKAMPIA virtus.  
Articulum publicè defendere gestie eundem.  
Hinc ipsi laudes & publica gloria cedunt.*

**M. Henricus Krausel**  
Torgâ - Misnicus.


---

**T**E noctu versasse probè sacra scripta, diuq̄s,  
Et strenuè varios pervoluisse libros;  
Pulpita docta docent, summo quæ scandis ho-  
nore,  
Defendisq̄; sacras dexteritate theses.  
Oscine felici sic perge, ADAME, sequetur  
Summus, virtutem qui comitatur, honos.

*His Præstantis. Dn. Respondenti com-  
mensali suo dilecto gratari  
voluit*

**Theodorus Pflug / Nob.**  
Oldenb.





THESIS I.

**P**ostquam proximâ disputatione, contra Pontificios, Quinti Evangelij, id est, doctrinæ cum sacris literis pugnantis Professores, Abrahami, Pauli, & Galatarum exemplis, opera fidei consequentia suo ordine maximè probanda, justificationis circulum non ingredi, dilucidè probatum est; restat ut hæc συζητήσει alia non nulla κερσόφυρα, quibus causam suam deploratam colorare satagunt, consideremus. Ubi initio occurrit distinctio inter justificationem Primam & Secundam, de qua *Bellar. Lib. 2. cap. 15.* inquit: In Prima justificatione non admisceri opera perfectè justa, tamen in Secundâ justificatione opera justa maximè admisceri *Lib. 6. cap. 18.* Paulus loquitur de Primâ justificatione, qua homo ex impio fit justus: Jacobus de Secunda justificatione, qua justus efficitur justior. Et ideo Paulum rectè dicere: justificari hominem sine operibus; Jacobum justificari ex operibus. Hinc itaque quæstio oritur: an coram tribunali DEI, duplex detur justificatio: Una quæ adscribatur fidei, altera quæ operibus nostris tribuatur, unde illa verè meritoria asserantur. Non autem quæritur, an justificatio sano sensu possit dividi in Primam & Secundam, ita ut prima dicatur, quæ fit coram DEO in foro poli, Secunda quæ fit coram mundo in foro soli, de qua Jacobus ait *v. 18.* ostende mihi fidem tuam ex factis tuis. Et ego ostendam tibi fidem meam ex factis meis.

1. Non ergo coram tribunali Christi, duplicem dari justificationem. probatur 1. à silentio Scripturæ, imò & ipsorum Patrum. Et in specie *August. qui cum Lib. de Fide & Operib. §. 14.* & seq. quæstione, prima ad Dulcitiium. Et præfat. in *Psal. 32.* ex professo hanc rem (quomodo Paulus & Jacobus conciliandi) tractasset, nullibi distinctiois hujus facit mentionem. 2. Distinctio hæc confundit distinctos fidei articulos, scilicet Justificationis & Renovationis sive Sanctificationis. Justificatio coram DEO non recipit magis & minus, licet

H

licet



licet Renovatio & Sanctificatio sua habeant incrementa 2. *Cor.* 4. v. 16. 3. impia & blasphema est, quia id quod minus est: esse justum, adscribit fidei; illud verò quod majus: habere incrementum & perfectionem, id est esse justiore, attribuit operibus. 4. Justificatio secunda, juxta adversarios nihil aliud est quam ipsa salvatio. jam verò salutem æternam scriptura sacra ascribit (non tantum loquendo de infantibus, sed & adultis) fidei in Christum *Eph.* 2. v. 8. *Tit.* 3. v. 7. 1. *Pet.* 1. v. 5. *Act.* 4. v. 12. Unde Christus dicitur causa salutis æternæ. *Hebr.* 5. v. 9. & qui Filium habet, habet vitam, quia Christus est vita æterna. 1. *Job.* 5. v. 12. 20. Unde mota quæstione salutis impetrandæ, respondet Scriptura custodi carceris, *Act.* 16. v. 31. crede in Dominum Jesum Christum, & salvus eris tu & domus tua. 5. Unus est mediator inter Deum offensum, & homines Deum offendentes. Ergo & una coram DEO justificatio seu reconciliatio, quæ solùm & unice fundamentum habet in ipso Christi officio mediatorio, quò partes dissidentes: Deus & genus humanum sunt invicem reconciliati *Col.* 1. v. 20. 2. *Cor.* 5. v. 19.

3. Urget verò *Bellar.* cap. 18. *Lib.* 4. locum Jacobi quem agere, affirmat de incremento justitiæ, non verò justificationis declaratione. Nam 1. Fides Abrahæ cooperata esse dicitur ad eum justificandum. Fides autem non cooperatur ad justitiæ declarationem, quod nobis concedentibus, juxta *Bellar.* ratio fidei non admittit. Respond. Fides consideratur dupliciter: 1. in proprio suo justificationis coram DEO officio. 2. in pietatis ac virtutum Christiano homine dignarum, ratione proximi, exercitio. Priori modo Scriptura de illa ait: omnis qui credit in Christum justificatur *Act.* 13. v. 39. quisquis crediderit accepturus est remissionem peccatorum *Act.* 10. v. 43. credenti in eum fides imputatur ad justitiam. *Rom.* 4. v. 5. crede & salvus eris. *Act.* 16. v. 31. ex fide datur hæreditas *Rom.* 4. v. 16. & justus, non tantum impius, ex fide vivet *Gal.* 3. v. 12. ac per fidem virtute DEI custodimur ad salutem 1. *Pet.* 1. v. 5. Hæc de fide in articulo nostræ coram Deo justificationis Scriptura totidem verbis affirmat. Posteriori verò sensu, quatenus fides viva extra justificationis coram DEO

DEO articulum in pietatis exercitijs consideratur. Scriptura has habet loquendi formulas. Fide construxit, sive, ut vulgatus loquitur aptavit Nôe arcam *Hebr. 11. v. 7.* fide Abraham obediit, ut exires in locum *v. 8.* fide Sara accepit vim ad concipiendum *v. 11.* fide Abraham obtulit Isaac *v. 17.* fide Moses reliquit Ægyptum. *v. 27.* Fide moenia Hiericho conciderunt. *v. 30.* Fide sancti expugnaverunt regna & occluserunt ora leonum *v. 33.* In hac secunda acceptione, nulla fit justificationis coram Deo mentio, sed tantum fides viva, in pietatis consideratur exercitio.

4. Ut ergo ad propositum redeamus, Jacobi scopus non est, fidei in proprio suo justificationis coram Deo officio naturam demonstrare, sed fidem quam quis dicat se habere. *v. 14.* esse sine factis mortuam *v. 17. 20.* Illud ut amplificet, desumit exemplum valde illustre Abrahami, quem quidem in medio bonorum operum cursu constitutum, Paulus fide sine operibus coram Deo justificatum fuisse, ex professo asseruit, ac luculenter demonstravit *Rom. 4. & Gal. 3.* Interim licet Abraham fide sine operibus in ipso pietatis curriculo coram DEO justificatus sit, tamen, fides ejus non fuit hypocritica, dicibilis, absq; factis mortua, sed tam viva & illustris, adeo ut Deo proprium Filium, eumq; unigenitum, quem unice diligebat, immolare præcipienti, sine cunctatione morem gesserit. Abraham itaq; jam antè justus, in medio bonorum operum cursu versans, fide sine operibus præeunte Paulo coram Deo justificatus, demonstravit illustri hoc obedientiæ exemplo, fidem suam, qua sine operibus, teste Paulo coram Deo justificatus fuit, non esse sine factis mortuam, sed vivam. Quod unicum Thema, non aliud Jacobus ostendere conatur *v. 20.* Præsupposito hoc immoto principio, facile est ad argumentum Bellar. respondere. fides, inquit, cooperata esse dicitur ad eum justificandum. Respond. id Jacobus non dicit, sed hoc ait: fidem cooperatam esse factis; scil. dum Abrahamus ex factis suis fidem suam vivam demonstravit. Sicuti verbum justificandi ibidem sumitur ob *v. 18.* & ob scopum Apostoli Jacobi *v. 20.* qui, ut ante dictum, non est: ostendere modum nostræ coram Deo justificationis, sed fidem sine factis mortuam esse, per *αὐτῆς ἱστορίας* exemplo Abrahami fi-

dem suam factis demonstrantis illustrare. Et proinde quia fides apud Jacobum non consideratur in proprio suo justificationis coram Deo officio, sed in ipso pietatis exercitio, ut *v. 18.* ad oculum ostendit: Falsissimum est, hoc respectu fidem non cooperari ad justitiæ declarationem. Agnoscit id Lira in Epist. Jacobi dicens: magnitudo fidei Abrahæ, fuit alijs declarata. Atqui tantum de primo Bellar. argumento.

5. Secundò urget verba Jacobi. Hominem justificari ex operibus, & non ex fide tantum. Et repetit justificationem non posse sumi pro declaratione. Quia fides non justificet declarando. Responsum jam est, fidem in exercitio consideratam, justificare declarando, vel, ut phrasi Jacobi utamur *v. 18.* ostendendo. Unde ita inferimus: Fides quæ ex factis ostenditur, declarando justificat. At prius verum juxta Jacobum. Ergò & posterius. In articulo justificationis hominis peccatoris coram Deo, nunquam, nunquam, inquam, scriptura dicit: fides ex factis ostenditur. Sed qui credit in Christum, habet remissionem peccatorum & vitam æternam. *Act. 26. v. 18. Joh. 3. v. 16. 18.* Quia itaque Jacobus de tali agit justificatione, qua fides factis seu operibus ostenditur, hinc *ἀναγνώσκοντες* concludimus, justificationem Jacobi esse fidei vivæ *ὁμολογίαν* & ostensionem.

6. Deinde Jacobus allegato *v. 24.* disputationem suam positis præmissis concludit. Ergò: quales promissæ, talis conclusio. At præmissæ agunt de fide dicibili, *v. 14.* mortua, *v. 17. 20.* demonibus communi, *v. 19.* Ergò & conclusio talis est. Sensus itaque evidens hic est: videtis igitur vos hypocritæ, quod ex factis justificetur, id est, justus ostendatur, *v. 18.* homo, sicuti Abraham jam ante viginti quinque ad minimum annos, in medio bonorum operum cursu ambulans, fide sine operibus coram DEO justificatus, declarat insigni illà obedientiâ oblationis filij, fidem suam vivacissimam fuisse, non autem mortuam. *Hebr. 11. v. 17.* Ergò non tantum ex fide hypocriticâ, in linguâ nata, dicibili, vel etiam historicâ notitiâ Demonibus quoque competente justus declaratur.

7. Tertio probat Bellar. verbum justificare non notare justitiæ decla-

declarationem, quia addatur: Fidem Abrahamæ ex operibus consummatam esse. Id autem non posse aliud significare, nisi justitiam inchoatam per fidem, accepisse incrementum & perfectionem per opera. Respond. verba intelligenda pro subjectâ materiâ, non de perfectione intrinseca & essentiali fidei, ratione sui ipsius considerata, opera enim, utpote effecta, fidem consequentia, (sequuntur enim, dicente *August. Lib. de Fid. & oper. cap. 14.* justificatum) essentialiter & intrinsecè fidem non perficiant, quippe quæ hoc respectu Christi apprehensione unicè consistit *Col. 3. v. 6. Job. 1. v. 12.* sed tanquam immediatus effectus, illius perfectionem ostendunt. Quia ergò scopus Jacobi est demonstrare fidem ex factis *v. 18.* & indicare fidem absq; factis mortuam esse *v. 20.* rectè dicit: ex factis fidem Abrahamæ ἐπιείωον perfectam redditam, dum vivam fuisse, non mortuam, eo ipso Abrahamus ostendit. Ex quibus patet intelligere Jacobum πελείωον non Constitutivam, sed Consecutivam. Sicuti fructus bonus dicitur perficere arborem, non intrinsecam aliquam perfectionem eonstituendo, sed de bonitate arboris testando. Unde Lira in h.l. ait: habitus *manifestatur* per opera. Et similiter magnitudo fidei Abrahamæ *apparuit* ex ejus obedientia, offerendo filium. Veritas hæc insuper confirmatur ex allegato loco à Jacobo citato *Gen. 15. v. 6.* de quo ait: impletam fuisse scripturam: credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam. Quomodo impleta? nisi respectu declarationis & manifestationis. Juxta scripturæ Canonem: multa tunc dicuntur fieri, quando leguntur patè fieri, *Rom. 1. v. 4. 1. Cor. 15. v. 54.* Dum ergò Abraham fidem suam factis, & quidem insigni hoc obedientiæ opere ostendit, tunc eo ipso declaravit & mundo luculenter manifestavit fidem illam, qua sine operibus coram Deo juxta Paulum justificatus fuit, non hypocriticam, neq; historicam tantùm Diabolis quoq; competentem notitiam, sed vivam & salvificam fuisse fidem, Christum redemptorem mundi respicientem *Job. 4. v. 42. Gal. 3. v. 16.*

8. Respondet Bellar. Jacobum non velle dicere, tunc primum eam Scripturam esse impletam. Cum non ignorare potuerit, verba illa multò antè fuisse dicta de fide Abrahamæ, sed dicere voluit,

H 3

tunc

tunc etiam scripturam illam impletam. Respond. clarissima Jacobi verba glossema Bellar. non admittunt. Rectissime dicit Jacobus, considerans sermonis sui scopum, tum, quando Abraham oblatione filij, fidem suam, non esse mortuam (id enim Jacobus probare intendit *v. 20.*) demonstravit, tum, inquam, ratione patefactionis & ostensionis impletam fuisse scripturam: Abrahamum verè & salvificè credidisse, non hypocriticè, ut fidem dixerit se habere; facta vero sive opera non habuerit.

9. Quarto probare contendit Bellar. Thesis suam ex eo quod Raab meretrix ex operibus fuerit justificata. Illa autem justa declarari non potuerit, cum esset meretrix, sed verè justificata, id est, ex infideli fidelis, & ex meretrice justa facta est. Non igitur justificatio apud Jacobum pro declaratione sumitur. Respond. cogita Bellar. quid dicas, ne plenis velis ad castra Pelagij, gratiæ inimici, ut illum August. appellat *Lib. 2. de Bono persever. cap. 2.* transeas. Dicit Raab infidelem meretricem ex operibus verè justificatam. Anne ergò infideles, id est, homines fide carentes operibus non ex fide profectis, justificantur? id passim negas *Lib. 1. c. 19.* concedis enim in justificatione impij, qualem fingis fuisse Raab, hominem fide sine operibus justificari in hoc ipso capite, dum inquis: rectè Paulus dicit hominem justificari sine operibus. 2. expende anne unum, aliquod opus, & quidem secundæ tabulæ, hominem coram Deo justum faciat? Excepit Raab nuntios hospitiæ, non sine insigni, contra edictum Regis agendo, vitæ periculo, & aliâ viâ emisit, & per hoc factum Jacobus illam justificatam ait. Jacobus itaq; voce justificationis, intelligit declarationem justitiæ. Unum enim opus hominem coram Dei facie non justificat *Jac. 2. v. 10.* interim justificatum declarat & fidem demonstrat. *v. 18.* Hinc per fidem Raab non perisse dicitur *Hebr. 11. v. 31.* Declaravit itaq; Raab fidem suam, quòd contra Regis, cujus imperio subjecta erat, voluntatem, excepisset exploratores terræ hospitiæ. Sive, ut Lira loquitur, ex fide unius veri Dei salvavit exploratores judæorum. At, inquit Bellar. meretrix fuit, non potuit declarari justa. Resp. ita dicitur à termino à quo, sicuti meretrices dicuntur ingredi regnum Cœlorum *Matth. 21. v. 31.*

Quam-

Quamvis ergo antè corpus suum proffiterit, quo respectu *מִפְּנֵי* dicitur; illo tamen tempore, quando insignem illam Dei veri Israë-  
litarum edidit confessionem, fidei & fiduciæ plenissimam, artem il-  
lam meretriciam deseruit. Unde ait *v. 9.* *יָדַעְתִּי כִּי אֱלֹהִים* novi, certus sum  
Deum vobis terram traditum *v. 11.* Jehovah Deus vester, est Deus  
in cœlo sursum, & super terram deorsum *v. 12.* nunc ergo jurate mi-  
hi per Jehovah. Distinguat ergo Bellar. tempora, & conciliabit hanc  
scripturam. Quamvis Salmeron Jesuita *p. 27.* in h. l. per hospitam,  
vocem *מִפְּנֵי* reddat, & dicat Paulum & Jacobum 70. interpretes se-  
cutos. Stante hæc explicatione Bellar. argt. cadit. Quâ de re cum  
Jesuita Salmeron, Jesuita Bellar. transigere potest. Atqui hacten-  
us exceptiones Bellar. consideravimus.

10. Pergit autem distinctionem inter justificationem primam  
& secundam illustrare simili. Nemo, inquit, potest opere suo sei-  
psum procreare, aut à morte revocare; procreatus verò, aut à mor-  
te revocatus, ipse se comedendo & bibendo nutrit: sic etiam homo  
per peccatum mortuus, non potest merito operum suorum se justi-  
ficare: Posteaquam à Deo justus factus est, potest rectè vivendo ju-  
sticiam in se alere & augere, & ita operibus justificari. Respond. si-  
milia rem ex scripturâ probatam illustrent. Quia ergo exemplo  
Abrahami justus, ex professo ab Apostolo allegato. *Rom. 4.* fide sine  
operibus justificari. contrarium patet, quid opus est in re tanti mo-  
menti, salutem nostram æternam concernente, ita ineptire, quasi  
vitæ corporalis, & actionum physicarum, & vitæ spiritualis & ope-  
rationum Theologicarum par sit ratio! Dicit Scriptura: Abraha-  
mum justum & reatum fide sine operibus, quæ tamen habebat, co-  
ram Deo justificatum, quamvis fidem suam vivam, operibus, teste  
Jacobobo, ostenderit. *v. 18. 20.* In hac simplicitate unicè acquiescimus.

11. Sed dicente Bellar. loquitur Paulus de Primâ justificatione,  
qua quis ex impio efficitur justus, quia *Cap. 3. v. 23.* dicat: omnes  
peccaverunt, & egent gloriâ Dei &c. Respond. scripturam cum  
consulimus, non alio modo justificatur impius poenitens, & alio  
modo homo jam antè reatus. Abraham fidem habuit in primâ  
suâ vocatione *Gen. 12. v. 4. Hebr. 11. v. 8.* atq; ita reatus; & tamen ali-  
quos

quot annis (ad minimum Decem) post illud tempus meminit scriptura: credidisse Abraham Deo, & hoc ei imputatum fuisse (non opera) ad justitiam *Gen. 15. v. 6.* Unde Paulus principale suum argumentum desumit *Rom. 4. v. 3; Gal. 3. v. 6.* Abrahamum tot annis renatum, fide tamen coram Deo sine operibus esse justificatum affirmans. Largimur ergo Paulum loqui de justificatione impij *Rom. 4. v. 5.* sed non tantum; verum etiam de justificatione justij sive renati, quem ex Propheta *Hab. 2. v. 4.* fide victurum ait *Rom. 2. v. 17. Gal. 3. v. 11.* Et exempla Abraham & David, de qua justificatione textus loquatur, ad oculum demonstrant: Unam coram Deo, non geminam agnoscimus justificationem, ut ex ante dictis patet.

12. Sed probat *Lib. 4. cap. 19. ex. Apoc. 22. v. 11.* dari duplicem justificationem: qui justus est justificetur adhuc, id est magis justificetur per bona opera, ut verba Bellar. habent. Respond. adverbium *ἐτι* in sacris interdum notat rei incrementum idq; rarissime: vel designat, & quidem plerumq; temporis continuationem. vide *Luc. 16. v. 2. Job. 14. v. 29. 1. 16. v. 10. Matth. 26. v. 65. Hebr. 8. v. 12.* In sanctificatione, quæ suos habet gradus denotare *μᾶλλον* vel *πλεον* concedimus. Idem fieri in justificatione hominis peccatoris coram Deo pernegamus; notat ergo, de justificatione sumptum, *παρῳπιον* sive rei continuationem & perseverantiam. Qui ergo justus est, justificetur adhuc, id est, perseveret in justitiâ. Unde Lira in locum Apocal. inquit: justificetur adhuc, id est justitiam faciet & loquitur de justis prædestinatis, qui decedunt in gratia finali. Quæ Liræ expositio nostram corroboret de perseverantiâ explicationem.

13. Hactenus igitur contra Quinti Evangelij, id est doctrinæ saceris literis repugnantis professores probatum est, non dari duplicem hominis peccatoris coram Deo justificationem, sed unicam tantum, proinde secundò de scopo Jacobi inquirendum est, de quo dicit Bellar. Scopum Apostoli Jacobi hunc fuisse, demonstrare non quæ sit vera fides, sed fidem veram atq; Catholicam, ad salutem sine operibus non sufficere, & fidelem qui bene operatur in justitiâ crescere. Illud autem falsissimum esse, ex ipso Jacobo *διαρρηθην* monstrabimus. Primo Jacobi scopus est, ut *ex v. 1.* patet, ne cum respectu

An personarum habeant fidem Domini nostri Jesu Christi. Deinde  
 v. 14. si quis dicat, siue verbis profiteatur, fidem se habere operibus  
 vacuam, illam non esse fidem salvificam. Si enim fides, facta siue  
 opera non habeat, mortuam illam esse siue cadaver fidei v. 17. ait  
 quod exemplis Abraham & Raab, fidem suam operibus demonstran-  
 tium illustrat v. 21. 25. Tandem concludit: Sicut corpus absq; spi-  
 ritu siue respiratione, (vocabulum enim πνεύματι hic non πνεύμα-  
 τος, sed ἐνεργητικῶς sumitur, pro ostensione rei probandæ ob. v. 18.  
 & totius Jacobi scopum) mortuum est, (negato enim proprio, coq;  
 immediato vitæ necessatio effectu, ipsa vita, consequenter nega-  
 tur.) Sic & fides, quæ facta non habeat mortua. Vera enim &  
 justificans fides per bona opera sese exerit ac ostendit v. 18. Hic sco-  
 pus est disputationis Jacobæ, ut ex verbis illius ostensum non aliud,  
 Hanc veritatem nobiscum agnoscit Augustinus, quando *Lib. de Fid.  
 & oper. cap. 14.* inquit: Jacobus vehementer astruit fidem sine ope-  
 ribus non prodesse: Sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fi-  
 dem qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeq; Evangelicam  
 definit, cujus opera ex dilectione procedunt. In *Quest. ad Dulci-  
 sium Q. 1.* ait: falluntur qui de fide mortua sibi vitam perpetuam  
 pollicentur.

14. Ex quibus constat describere Jacobum qualitatem fidei  
 qualis illa esse debebat, viva & non mortua, quæ licet sola coram Deo  
 juxta Paulum justificet, non tamen sola, in subjecto, cui inest esse  
 debet, aut potest; hoc enim respectu mortua esset adeoq; non justifi-  
 cans fides, sed inanis fidei professio in lingua tantum nata. Fides  
 enim justificans hæc est, quæ licet sola sine operibus justificationis  
 nostræ coram Deo actum perficiat, non tamen sola à parte subje-  
 cti existere debet, sed fides est per Charitatem ἐνεργητικῶς agens.  
 Summa ergo huc recurrit, quod fides viva, per Charitatem opero-  
 sa, nos coram Deo ejusq; tribunali sola salvet, licet sola non existat.  
 Quam veritatem unà nobiscum agnoscit *August. Q. 1. ad dulcis.* ita  
 scribens: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod  
 est positum, quod est Christus Jesus. Si autem Christus procul dubio  
 fides Christi, per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris.  
 Porro si fides Christi, illa utiq; quam definit Augustinus, quæ per  
 dile-



dilectionem operatur. Non enim fides illa dæmonum, cum & ipsi credant & contremiscant, & filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in fundamentum. Fides itaq; Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit.

15. Ostendimus itaq; ex Apostoli Jacobi scopo, illū probare voluisse, non quomodo in justitia (coram Deo valente) crescere, ut loquitur Bellar. debeamus: sed fidei dicibilis sive verbalis in lingua solū nata, sine operibus in subiecto aliquo existentis, nullam esse utilitatem. v. 14. Fidem enim talem dicibilem & verbalem mortuam esse, fideiq; dæmonum similem. v. 29. v. 17. 20. 26. Unde evidenter constat Jacobum. v. 24. dicentem: videtis quod ex factis justificatur homo, & non ex fide tantum, loqui de illa fide dicibili v. 14. mortua, v. 17. dæmonibus quoq; competente v. 19. quæ est umbra tantum fidei, & inanis articulorum fidei jactantia, sive nuda & verbalis Christianismi professio. Bellar. verò probaturus *Lib. 1. c. 15.* Jacobum loqui de verâ Christianâ impium justificante fide primo sumit argumentum, quia Jacobus eam absolutè fidem appellet. Nomen verò fidei in sacris literis semper veram fidem significare solere. Resp. Jacobo negotium fuit cum hypocritis, sive ut Bellar. loquitur, cum hominibus improbis, qui *μὴ ὄντες εὐσεβείας* sive formam pietatis habentes, vim ejus abnegarunt *2. Tim. 3. v. 5.* *ἡ πίστις* igitur est nuda & verbalis, sive simulata & fictâ Christianismi professio. Hanc Apostolus fidem nominat, non quod vera & Christiana esset, sed quod hypocritæ & homines improbi vanè illam jactarent. Unde non dicit: si quis fidem habeat, sed si quis dicat se habere. Evidenter id colligitur ex. v. 19. ubi fides horum hypocritarum, ac ipsorum Dæmonum ut paria, non diffidente Bellarmino comparantur. Fidem ergò illam historicam, quam vanissimi illi homines jactabant, etiam dæmones habebant, qui tamen verâ Christianâ fide, ac filiali in Deum fiducia planè destituuntur. Unde constat simulatam illam Christianismi professionem, dici fidem æquivocè, sicuti homo mortuus dicitur homo, qui reverà est cadaver. Unde fides hæc mortua dicitur v. 17. 20. & nihil prodesse v. 14. quo ipso à verâ & Christiana, sive ut Augustinus loquitur, Evangelicâ

lica fide distinguitur. Nam vera fides prodest. Fides de qua Jacobus agit, non prodest. Ergò Jacobus non agit de verà fide. Deinde, vera fides facit placere homines Deo *Hebr. 11. v. 6.* Unde Gregor. de *Valent Tom. 2. punct. 4. p. 482.* parvulos (qui juxta Bellar. *Lib. 5. c. 3.* sine laboribus & meritis, solo jure hæreditatis, vitam æternam possidebunt) Deo placere ob fidem ait.

16. Respondet Bellar. primò Jacobum explicare voluisse fidem essentiæ, non benevolentia, quia non Lutheranam, sed Catholicam docebat. Respond. secundum scripturam est una fides vera *Eph. 4. v. 5.* hanc verò scriptura describit, non per nudum assensum cum Bellar. *Lib. 1. c. 4.* adeò ut credere, dicente Gregorio de Valent nihil sit aliud, quam cum assensione cogitare *Tom. 3. p. 363.* sed includit notitiam sive scientiam salutis. *Luc. 1. v. 77.* cui tenebræ spirituales opponuntur. *v. 79.* Impij dicuntur semper discere, sed nunquam ad veritatis cognitionem pervenire. *2. Tim. 3. v. 7.* fides ergò vera est cognitio veritatis. *1. Tim. 2. v. 4.* quæ ubi est, de benevolentia Dei nullâ ratione dubitandum *Jer. 9. v. 24.*

17. Secundò inquit Bellar, fides hominum improborum convenit cum fide Dæmonum in eo, quod utraq; est vera & recta. Imo eò procedit, ut dicat, dæmonum fidem esse veram & catholicam, ex parte objecti. Id probat ex August. Libro de Unico Baptismo. *cap. 10.* Resp. scientiam historicam, quam Diabolus habet de Christo, certo modo veram esse concedimus V. G. dicit Diabolus ad Christum *Mat. 1. v. 24.* novi te quis sis, sanctus ille Dei *Act. 19. v. 15.* Jesum *γινώσκω* novi, de notitia historica recte dicitur. Cum ergò pij fide, & secundum papistas operibus justificantur, ane alia fides & notitia intelligitur quam illa historica? Respondet, fides malorum seu improborum & dæmonum in eo differre quòd hominum fides libera sit: fides verò dæmonum coacta & extorta, ab ipsa rerum evidentia. Nos verò homines credere non invitos & coactos, sed sponte & libenter. Respond. consideret homo pius, qualem fidem veram & Catholicam profiteantur papistæ, cum eandem habeant, quam & dæmones tenent, de quibus ait Bellar. ex Augustino loco ante allegato, quod veram & Catholicam ex parte objecti possideant fidem. Quando ergò Petrus ait *Matth. 16. v. 16.* Tu es Christus filius Dei viventis.

Et quando Diabolus ait *Matth. 1. v. 24.* tu es ille sanctus Dei. Secundum Bellar. est eadem vera & recta fides ratione objecti. Quæ tamen longius distant, quam supremum cœlum ab infima terra. Quod Christus inquit, *Matth. 16. v. 17.* quando hanc confessionem Petri, non à carne & sanguine, sed patre cœlesti profectam ait. Falsissimum ergo est, notitiam illam dæmonum, quam Jacobus fidem, historicam scilicet articuloꝝ fidei scientiam appellat, convenire cum fide verâ, quam Catholicam & Christianam, impium justificantem appellamus, de qua Apostolus ait: Una fides *Eph. 4. v. 5.* Consideret enim quis pressius sententiam hanc papistarum, cujus interpres est ipse Bellar. dicens: homines improbi habent fidem, id est assensum, sive cum assensione cogitant, ut Gregor. de Valent loquitur & profitentur externè, licet hypocriticè, Christianismum, cui si postea accedant bona opera, secundum Bellarminum est salvifica fides, quia juxta eundem, Jacobus agit de verâ justificante impium fide, operibus destitutâ. Ergo fides historica qualis est in dæmonibus, quæ est juxta Bellar. vera recta & Catholica fides, habens adjuncta bona opera sive facta, hominem coram tribunali Dei justificat. Consideret aliquis, qui vel pietatis micam habet. Bellar. hyperaspistes, an hoc affirmare præsumat! Scripturam Sacram cum consulimus, illa longè augustius & honorificentius de verâ, Christianâ, sive recta & Catholica, fide loquitur. Vide *Act. 3. v. 16. c. 15. v. 9. c. 20. v. 18. Rom. 5. v. 1. Gal. 3. v. 9. 11. Eph. 2. v. 8. Gal. 2. v. 16. 20. & passim.*

18. Tertiò excipit fidem dici mortuam, non quomodo homo dicitur mortuus qui post mortem non est, sed quomodo corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non vivit. Respond. Jacobus disputationem suam concludens *v. 26.* inquit: Quemadmodum τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρὸν ἐστὶν corpus absq; Spiritu mortuum est, ita ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρὰ ἐστὶ, fides sine factis mortua est. Quæritur, an per σῶμα intelligat corpus animatum, cui vita propriè competit: an verò corpus inanimatum, cui vita non sit essentialis. Posterius affirmat Bellar. nos prævio Apostolo (de corpore spiritum sive respirationem habente loquente) prius dicimus. Sicut ergo corpus verè animatum, animâ mediante

diante suas propriè exercet operationes, in plantis anima vegetans, vivit, viret, alitur augetur. In brutis anima sentiens, in spiritibus animalibus residens, suas habet animæ huic competentes actiones. In hominibus anima rationalis non est otiosa, sed quamdiu adest corporiq; est conjuncta, nunquam interruptos planè exercet motus quos *ἰνεργείας* appellitare solent. Hæ actiones omnes corporibus suis propriè & consecutivè essentialiter competunt, tolle enim vitam in plantis, remove operationem animæ sentientis in brutis, tolle respirationem ut Jacobus loquitur, in corpore humano, & destruxisti, plantam, brutum, hominem. Quando ergò Jacobus inquit: sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua, nihil aliud indicat, quam fidem illam, sine operibus, esse inanem hominum improborum fidei jaçantiam, quam quidem inanis homo sive hypocrita *v. 20.* dicat se habere *v. 14.* quamvis sit omni motu destituta, & revera fidem non habeat: aliud enim est dicere se habere, & aliud verè habere. Quemadmodum ergò corpus animatum operationibus ex anima (sive vegetans, sive sentiens, sive rationalis illa sit) provenientibus destitutum, æquivocè dicitur animatum corpus, ita fides, sine operibus mortua, id est verbalis, in lingua solum nata, æquivocè sit fides. Unde citante *Salmerone disp. 3. in Epist. Jacob. p. 25.* ex Didymo: fides mortua neq; fides est: nam neq; homo mortuus homo est.

19. Régerit Bellar. vitam non esse de essentiâ fidei, quemadmodum est de essentiâ hominis; sed per metaphoram dici fidem vivam cum operatur, mortuam cum non operatur. Quod illustrat exemplo aquæ, quæ dicitur viva cum continuò fluit, in fonte & fluvijis mortua, quæ non movetur, ut in stagnis & paludibus: eum tamen utraque verè aqua sit. Resp. circa hanc Bellar. exceptionem incidit locus. *Esai. 1. v. 22.* quem vulgatus ita expressit: Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum aqua. Ita de fide verâ Catholicâ, ut illam nominant Papistæ, rectè diceretur, (si vera est exceptio Bellar.) illam in aquam versam. Dolendum certè est in re tam gravi, tamque arduâ *Περίμαχον* aliquem doctrinæ Papisticæ, sicuti Bellarminum vocare solent, tam turpiter se se dare. Di-

eit vivam fidem & mortuam, differre, ut aquam fluviatilem & palu-  
 dosam, cum tamen utraque verè & propriè sit aqua, vel ut Salme-  
 ron loquitur, ut pecuniam mortuam quæ reservatur in Thesauro,  
 quæ non currit ad lucrum, quæ verò posita ad mensam, ut inde lu-  
 crum reportet, viva dici solet. Consideret lector devotus, cui pietas  
 unicè cordi est, quam & qualem nobis Papistæ commendent fidem!  
 Cur assumit Bellar. nomen aquæ, & Salmeron appellationem pecu-  
 nia, corporum inanimatorum, cur non manent cum Didymo in si-  
 militudine Jacobi, de corpore animato, spiritum habente, agentis  
 v. 26. annon ibi vita est de essentia corporis? proinde sicuti vita est de  
 essentia corporis animati: ita vita est de essentia fidei justificantis, hæc  
 est collatio Jacobi, quam Bellar. sequi oportuisset. Absit enim à nobis  
 hæc summa impietas, atque iterum absit, ut cum Bellar. metapho-  
 ricam fidei tribuamus vitam, quæ aquæ similis sit, *Unser Glaub muß  
 nicht zu Wasser werdē.* Ut Bellar. de sua fide catholica loquitur. Scri-  
 pturâ cum consulimus. longè rectius de fide judicat. Ita enim loqui-  
 tur: Christus per fidem habitat in cordibus nostris *Eph. 3. v. 17.* Filij Dei  
 estis inquit Apostolus, eo quod credidistis Christo Jesu *Gal. 3. v. 26.*  
 per fidem Paulus vivit filio Dei *Gal. 2. v. 20.* fides tua te salvam fecit, in-  
 quit Christus *Luc. 7. v. 50.* fides nostra est victoria mundi *i. Job. 5. v. 4.*  
 credenti omnia possibilia. *Marc. 9. v. 23.* justificati fide pacem habent.  
*Rom. 5. v. 1.* Hæc omnia fidei, æquæ comparata & nudo assensui, sive  
 cogitationi cum assensione, tribui nequeunt. Manet ergo immo-  
 tum: viva est & victrix, si modo vera fides, Hactenus de exceptioni-  
 bus Bellar. ad argumentum primum.

20. Secundo Bellar. probaturus, Jacobum agere de fide verissi-  
 mâ, non inani articulorū fidei notitia sive umbra fidei producit ex-  
 emplū Abrahami, cujus fides cooperata esse dicitur operibus. Abra-  
 hami autem fidem non fuisse umbrâ fidei. Respond. à diversis mala  
 fit illatio. Fides Abrahæ, & improborū hominū, toto genere differt,  
 & per anthesin fidei impiorū opponitur. Jacobus ergo volens osten-  
 dere inanitatem fidei dicibilis, sive verbalis *v. 14.* mortuæ *v. 17.* diabolis  
 quoque competentis. *v. 19.* hypocritarum omni bono opere caren-  
 tium, producit exemplum Abrahæ, fidem suam veram & vivam, ope-  
 ribus

ribus declarantis. Argumentum proinde invertimus, hoc modo: Abrahami fides, quæ ipsi sine operibus, (quæ tamen habuit) ad justitiam coram Deo valentem imputata. *Rom. 4. v. 3. Gal 3. v. 6 9.* non fuit inanis, mortua, improbis ac Dæmonibus quoque tributa fides, quia ad promissionem Dei, non hæsitavit τῆ ἀπιστία, vulgato interprete dicente, diffidentia. Ergò non habuit nudam impijs hominibus ac ipsis Diabolis competentem assensum, sed certam ἀληγοφοεῖαν, robustus factus fide, tribuens Deo gloriam, ideò reputata est illa fides Abrahæ in justitiam *Rom 4. v 20. 22.* proinde argumentatur Jacobus, non ex loco similium, quasi improborum hominum, & ipsius Abrahami fides eadem fuerit, sed dissimilium, & introducit Abrahamum, cujus fides non fuit imaginaria, nuda professio, & inanis jactantia, sed vera & viva fides, operibus declarata.

21. Tertio ex *v. 24.* Bellarm. ita colligit: Umbra fidei non justificat, hic verò Apostolus fidem justificare concedit, sed non solam Respon. ipse Thomas in *cap. 3. ad Gal. 9. 123.* ait justificare potest accipi dupliciter: vel quantum ad executionem justitiæ & manifestationem, & hoc modo justificatur homo, id est, *justus ostenditur ex operibus.* Hæc cum Jacobo concordant, qui justificationem, de qua agit, vocat fidei ostensionem. *v. 18.* vult enim Jacobus, concedente ipso Salmerone *p. 24.* confutare eorum errorem, qui inani tantum fidei vocabulo gloriabantur. Sensus ergò Jacobi simplicissimus hic est: videtis igitur, quod homo ex factis justus ostendatur *v. 18* & non tantum ex fide, quam homo inanis dicit, & thraſonicè gloriatur, se habere, interim vivam & justificantem fidem, non habet. proinde inanis fidei gloriatio, ut Salmeron loquitur, hominem justum non manifestat. Fides enim, qua secundum Paulum, sine operibus coram Deo ejusq; severissimo tribunali justificamur, non est tantum οὐ κατὰ θεοῖς assensus, nec tantum γνώσις notitia sive scientia, cum illa improbis quoq; competant, sed formaliter est ἀληγοφοεῖα *Rom. 4. v. 21. Hebr. 6. v 11. Παρρησία καὶ τὸ καύχημα Hebr. 3. v. 6 Eph. 3. v. 12 θάρσος Matth. 9. v. 22. 2. ἄγκυρα Hebr. 6. v. 19. ὑπόστασις Hebr. 11. v. 1. κατὰ ἠψίς Phil. 3. v. 12. καύχησις Rom. 5. v. 2, cer-*  
12 68

ea & firma fiducia, Christum cum omnibus beneficiis, nobis approprians; quotquot enim acceperunt Christum, id est, crediderunt in nomen ejus, Filij Dei sunt *Job. 1. v. 12.* Quicumque igitur habent *ἡ πίστις καὶ τῆς ἐκείνου ἰσχυρῶς* firmitatem fidei *Col. 4. vs.* illi cum Abrahamo, fide viva, opera quidem habente, sed tamen sine operibus coram Deo justificantur *Gal. 3. v. 9. 10.*

22. Quarto confirmat Bellarm. Jacobum agere de verâ fide, ob duo exempla, quæ producit 1. comparat hominem habentem fidem sine operibus ei, qui videns pauperes egentes cibo &c. contentus sit à cognitione & nihil eis eleemosynæ largiatur. Sicut enim nihil prodest pauperibus, quod divites sciant eorum inopiam, etiamsi verissima sit ea cognitio, ita nihil prodest vera fides. 2. quia fidem sine operibus corpori sine spiritu, quod certum est verum esse corpus, licet mortuū, comparet. Resp. etiam atq; etiam dolendum est, pontificios ita jejune & tenuiter sentire de verâ fide, ut illam solum dicant, verissimam cognitionem. sine certâ & firmâ in Christum fiducia, quæ tamen anima veræ fidei est. Contrarium autem. Theſ. præcedente ad oculum confirmatum. Proinde ficta illa charitas nostram valde confirmat sententiam. Quemadmodum enim inanis illa cognitio, nihil commodi præstat egenti fratri, sed vanissima est & inutilis, Ita hypocritæ isti simulatam habent, inutilem, in lingua natam fidem dicibilem seu verbalem, *v. 14.* Quod secundo fidem comparat corpori sine spiritu, id quoque nostram sententiam suffulcit. Loquitur enim de corpore animato spiritum habente. Quamvis ergo spiritus, id est explicante Cajetano, flatus & respiratio, non sit de essentia corporis in genere considerata, est tamen de essentia à posteriori corporis animati. Invertimus itaq; Bellar. argumentum: Sicuti corpus animatum, non est verum corpus in illo genere, ita fides sine operibus non est vera fides.

23. Quinto sumit argumentum ex illis testimonijs, quæ docent in Ecclesia esse bonos & malos. Si ergo qui in Ecclesia vivunt fideles sunt, sequitur fidem, unde dicuntur fideles, cum peccato posse esse conjunctam. Respond. Ex hoc argumento iterum videmus quàm veram fidem nobis commendent papistæ, nudam

dam scil. articulorum fidei historicam notitiam, impijs imò ipsi Diabolo quoque competentem. Hæcine est vera & Christiana fides, cui si bona opera accedant, justificatio nostra, coram tremendo tribunali Christi, ascribenda? Nos ex sacris, laus DE O, edocti, longè aliam agnoscimus veram & christianam fidem. vid. *Thef.* 20. 21. Cum ergò omnes in Ecclesia dicuntur fideles, vel *ἀνευλογία* est, vel habetur respectus ad professionem externam historicam. Scriptura Sacra semper inter vetè credentes & incredulos distinguit *Mar* 16. 7. 16. *Job.* 3. v. 18. Tales ergò licet sint in Ecclesia, id est, externâ ejus societate: non tamen de Ecclesiâ, id est vera & viva ejusdem membra sunt.

24. Sextò ita colligit: si omnes mali qui sunt in Ecclesiâ fidem verâ carerent: ob id potissimùm reprehendi deberent, quod exciderint à vera fide. At non reprehenduntur de amissione fidei, sed de omissione operum. Nam *Matth.* 22. v. 12, reprehenditur qui non habet vestem nuptialem, non alia de causa, quàm quia vestem illam nō habet, quæ est ipsa charitas. Respond. quid veste nuptiali indigetur non una veterum est sententia, Basil. Comment. in *Isaiam* dicit. p. 448. Christianorum vestimentum obnubens peccati nostri turpitudinem fides est qua in Christum credimus. Hilarius *Cap.* 22. in *Matth.* intelligit Gloriam Spiritus S. & candorem habitûs cœlestis. Origenes in *Matth.* p. 118. inquit carens veste nuptiali non induit Dominum Jesum & renovatus non est. Thomas in *Matth* ait p. 64. habere vestem nuptialem, est induere Christum. Quæ est, inquit, ista vestis? Christus, qui sumus Christi, Christum induamus. Eusebius Emes. inquit: veste nuptiali indutus non est, qui fidem non habet & Christum non inmitatur. Idem dicunt August. & Chrysof. Quamvis ergò quidam Patrum, quos Lira imitatur, Charitatem veste nuptiali intelligant; alij tamen nostræ sententiæ astipulantur. Mirandam autem Bellar. tam audacem esse, ut neget, homines in scriptura non reprehendi, quòd exciderint à verâ fide, illamque amiserint. Numne Christus discipulis exprobravit incredulitatem *Marc.* 16. v. 14. Annon Spiritus S. arguet mundum de peccato, quia non credunt in Christum *Job.* 16. v. 9. De quo loco Ortho-



doxè scribit *August. Tract. 95.* in Johan. Hoc peccatum (incredulitatis) quasi solum sit, præ cæteris posuit, quia hoc manente cætera retinentur, & hoc discedente cætera remittuntur. Annon dicitur: qui non credit jam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij DEI *Job. 3. v. 16. 18.* Item: qui non crediderit condemnabitur *Mar. 16. v. 16.* num fidei naufragium, facientes laudantur? *1. Tim. 2. v. 19.* conferantur *1. Tim. 5. v. 8. Job. 6. v. 46. Rom. 11. v. 20.* Quod verò sapiùs reprehenduntur mala opera in sacris, hinc non colligitur fidem in peccatoribus, V. G. incestuoso Corinthiaco esse posse conjunctam cum peccato. Eo ipso enim dum mala in oculos in currentia arguuntur opera, ipsa fidei absentia reprehenditur. Quòd si enim fides verò adesset, certè non sine operibus esset; beneficium namq; justificationis cum interioris hominis renovatione ἀγαπᾶν τὴν ψυχήν coheret *1. Cor. 6. v. 11. 1. Job. 5. v. 1. 4. 5. c. 3. v. 9. Eph. 3. v. 17.* sicut enim ignis nunquam est sine calore, ita etiam vera fides nullibi est sine operibus. quamvis opera ad justificationem hominis peccatoris coram Deo, non concurrant, ut ex præcedente discursu, scripturâ præviâ, satis demonstratum est.

25. At inquit Bellar. Fides & Charitas sunt duæ virtutes, diversa subjecta, actus & objecta habentes. Ergo inter se possunt disjungi. Resp. à diversitate virtutum, ut cum Bellar. loquamur, ad earundem separationem, nulla est firma consequentia. Fructus Spiritus *Gal. 5. v. 22.* distincti sunt, & tamen Unus non est, nec esse potest sine alio. Quia sunt Unum copulativum indivulso nexu coherens. Sic anima & respiratio, utpote ejus effectus, distinctissima sunt, & tamen impossibile per naturam, animam esse in corpore sine respiratione. Hinc Jacobus ait: quemadmodum corpus absq; Spiritu mortuum; ita & fides absq; factis mortua est.

26. Hactenus ergò Jacobum non de vera, sed hypocritica & historica, ipsis quoq; Dæmonibus competente, fide agere asseruimus, & ex textu ipso luculenter probavimus. Ut autem Bellar. Thesin suam eo fortiùs muniret, ex professo disputat fidem veram & Christianam, quæ impium justificat, posse à dilectione, aliisq; virtutibus separari. Quam quinti Evangelij assertionem hisce confirma-

re studet Scripturæ locis. I. ex *Job. 12. v. 42.* veruntamen multi ex principibus crediderunt in eum; sed non confitebantur: Dilexerunt enim magis gloriam Dei. Unde concludit in illis principibus fuisse fidem absq; charitate. Respond. concedimus Bellar. propter evidentem, quæ in textu est, incredulitatis & fidei *v. 39. 42.* oppositionem, sermonem esse de verâ & justificante fide; licet, ut Cyrillus in h. l. loquitur, infirmior fuerit fides, quæ in corde tantum servabatur. Hanc autem fidem sine omni charitate fuisse, unde probabit Bellar.? Negatio confessionis publicæ, qua de textu loquitur arguit quidem fidei in illis principibus infirmitatem & hostium Christi summum furorem *Job. 9. v. 22.* sed non omnimodam charitatis & aliarum virtutum negationem. Quod ex aliis constat exemplis *1. Reg. 19. v. 18.* septem millia fuerunt, qui publicè non sunt confessi, (alias Elias se solum relictum non fuisset conquestus) se veri Dei esse cultores, proinde retinebant illi, reliquiæ electionis gratiæ, ut loquitur paulus *Rom. 11. v. 5.* Charitatem, aliasq; virtutes, quibus moti, verum Deum colebant, & Baal cultum non deferebant. *Job. 19. v. 38.* Joseph Arimathiensis occultus Jesu fuit discipulus, propter metum Judæorum; expectans tamen regnum Dei *Matth. 13. v. 42.* Quod si fuit discipulus regnum Dei expectans, ergo charitas in eo fuit, licet *μαρτυρῆς κενυρμῆν* extiterit, & publicè sive palam non sit confessus. Cum Paulus Romæ captivus detineretur & ad defensionem primam admitteretur *2. Tim. 4. v. 16.* omnes Christiani Romæ viventes Paulum metu periculi deseruerunt, ergo publicè fidem suam non sunt confessi. Licetne hinc colligere, nullos Christianos Romæ habitantes (Apostolus enim de omnibus loquitur: omnes me deseruerunt: nemo mihi ad fuit) habuisse charitatem, aut bona opera ex verâ fide promanantia, sive virtutes Christianis dignas?

26. Discrimen ergo faciendum, inter has phrasas: negare Christum: & non confiteri eundem. Nam non statim, qui non confitetur Christum publicè, eundem negat. Dicit enim Petrus, paratos nos esse debere ad respondendum; sed addit *παντὶ τῷ ἀνθρώπῳ* *1. Pet. 3. v. 15.* Quod si hi principes fuissent interrogati, anne essent disci-

K 2

puli

puli Christi, idq; aperte negassent, tum utiq; fidem veram & nulla opera bona habuissent. Quando ergò hi Primores publicè & palàm se esse Christi discipulos, propter metum judæorum, non sunt confessi, non tamen id palàm negasse dicuntur. Licet itaq; infirma hæc & languida fides in hoc publico confessionis opere sese non exeruerit; hinc tamen minimè infertur, quod aliis bonis operibus & ipsà charitate planè fuerit destituta.

27. Inquis: dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei; negat autem Christus tales posse credere *Job. 3. v. 43.* Respond. I. Bellar. argumentum hoc non juvat, si enim cùm quibusdam, hos principes non habuisse veram fidem dicamus, argumentum Bellar. contrà nos probat nihil. Distinguiamus tamen 2. inter diligere gloriam hominum magis quam Dei, quod fit dupliciter vel ex odio, nequitia, invidia & superbia, ut in præfractis ac tumidis pharisæis: vel ex fidei pusillanimitate ac infirmitate, sicuti exemplo Josephi & aliorum antea probatum est. Fides ergò sicuti datur, magna *Matth. 13. v. 28.* parva *Matth. 14 v. 31.* ita operationes ejusdem, non sunt æquales *Matth. 13. v. 73.* Hinc August. inquit in *Job. Tract. 57.* Eorum qui crediderunt alij confitebantur, alij ex principibus non audebant confiteri, ut de synagoga non ejicerentur. Summa itaq; responsionis hæc sit: negatio Unius operis non requisiti & quidem publici non infert negationem omnis operis. Proinde exemplo horum principum non probatur fidem salvificam posse planè separari à Charitate & aliis virtutibus; sed fidem salvantem, infirmam, non semper sese confessione publica exerere; imprimis, quandò causæ externæ, utpote pericula, illam impediunt; sicuti exemplo Christianorum, tempore Pauli Romæ viventium, ante probatum ex *2. Tim. 4. v. 16.*

28. 2. Urget Bellar. locum ex *1. Cor. 13. v. 2.* ubi Apostolus ait: si habeam omnem fidem, Charitatem autem non habeam, nihil sum. Respond. loquitur textus, ipso fatente Bellarmino, de fide miraculosa sive signorum; non verò salvificâ sive promissionum, de qua *Aug. Tract. 10. in Epist. Job.* ait: sine dilectione fides inanis est. cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Re-  
geritur

geritur: At ipsa fides signorum, nihil aliud est, nisi ipsa vera fides Christiana. Respond. falsissimum est; miraculosa enim fides nihil aliud est, quàm fiducia divinæ potentæ impiis *Matth. 7. v. 22.* quoque fide salvifica carentibus tributa, quâ miracula edunt qui ea præditi sunt *Matth. 17. v. 20.* Justificans verò fides, solis piis competens, est Christi apprehensio, *Phil. 3. v. 12* sive acceptio *Job. 1. v. 12. Col. 2. v. 6.* Quæcunq; ergò ita distinguuntur, ut Unum possit esse sine alio, illa non sunt unum & idem. At fides miraculosa & justificans ita distinguuntur, ut unum possit esse sine alio. Ergò non sunt unum & idem. Major & minor indubitatae veritatis. Conclusio ergò immota.

29. Bellar. autem probaturus fidem miraculorum unam & eandem esse cùm fide, ut loquitur *Lib. 1. cap. 8.* justificante & salvante, producit locum *Mar. 16. v. 16.* ubi dicitur: qui crediderit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Ubi mox subjicitur: Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. Unde putat aperte posse colligi fidei salvificæ & miraculosæ unitatem. Respond. nihil minùs, quam hoc, sed contrarium potiùs inde deducitur. Ex hoc enim loco patet, fidem salvantem & miraculosam, licet in uno quandoque, imprimis primitivæ tempore Ecclesiæ, ubi illa plantanda & propaganda, subsistat, subjecto; (quod ex hoc loco rectè colligitur) differre tamen ut antecedens & consequens. Hinc textus dicit signa fidem salvantem subsequutura *ωρακις θησει*. Unde, citante Maldonato Jesuita ex *Gregor. hom. 29.* fides salvifica & miraculosa separari possunt. Nunquid, inquit *p. 809.* fratres mei, quia ita signa non facitis, minimè creditis? sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Item *p. 810.* miraculorum donum non statim ut quisque credebat, fuit consecutus. Nihil aliud ergò ex allegato loco colligitur, quam in Exordio Ecclesiæ fidem miraculosam & salvantem in uno subjecto sæpè fuisse conjunctam. Hinc unitas utriusq; fidei nullo modo deducitur, ut per se constat.

30. 2. ex *Hebr. 11. v. 33.* ait: sanctos fide expugnasse regna, obrurasse ora leonum, extinxisse vim ignis. Respond. nihil aliud probatur, quam fidem justificantem in quibusdam conjunctam fuisse

K 1

fidei

fidei miraculosæ. In de verò velle concludere: fidem miraculosam & justificantem eandem prorsus esse nullâ, ratione sequitur. Quæ enim consequentia: fides justificans, in suo proprio justificandi officio respiciens unice fidei ducem & consummatorem Jesum *Hebr. 12. v. 2.* in quibusdam primitivæ Ecclesiæ exemplis adjunctam habuit fidem miraculosam, (ita tamen, ut, fatente Maldonat. separari ab invicem possint) ergò illa cum justificante est una & eadem! Certè quæ separari possunt non sunt unū & idem. At fides justificans & miraculosa, fatente ipso Bellarm. *l. 5. cap. 15.* separari possunt. Ergò non sunt unum & idem.

31. 3. producit locum ex *Luc. 17. v. 5.* ubi Apostoli petunt adaugeri sibi fidem, ostendit igitur Dominus, signum auctæ fidei esse, ut per eam miracula efficiantur. *v. 6.* Respond. si verum dicit Bellar. signum auctæ fidei esse, ut per eam miracula efficiantur, cur Johannes, quò major non extitit illis, qui nascuntur è mulieribus *Matth. 11. v. 11.* quiq; Christum ipsum digito monstravit *Joh. 1. v. 29.* non habuit fidem miraculosam, sive non edidit signum ullum *Joh. 10. v. 41.* Abrahamum itidem, licet fidem robustissimam & excellentem habuerit, adeò ut pater credentium omnium dicatur *Rom. 4. v. 12. 20.* non tamen legimus edidisse miracula. Centurionis *Matth. 8. v. 10.* fides fuit excellens, ut & mulieris Cananæ *Matth. 15. v. 28.* magnas de utroque tamen non legimus, quod miracula ediderit. Unde colligimus: aliud esse fidem adauctam sive excellentem justificantem: & aliud fidem miraculosam. Cum enim Una ab alia separari queat, hinc fidei justificantis, & miracula edentis non una est essentia. Locus autem Lucæ, à Bellarm. allegatus, nihil aliud dicit, quam in Apostolis, potestatem miracula faciendi habentibus *Matth. 10. v. 1. 8. Luc. 9. v. 1. 2.* fidem justificantem & miraculosam concurrisse. Utramque unam essentialiter fuisse tum demùm credemus, quando miraculosam & justificantem separari non possent (quod tamen Bellar. jam ante concessit) firmis rationibus probatur.

32. 4. Ex conjunctione fidei cum spe & charitate: *1. Cor. 13. v.* Bellar. probat, fidem miraculosam & justificantem unam esse, adeò, ut, cum opus sit, justificans fides montes transferat, & cum spe & cha-

& charitate justificet. Respond. textus ipse distinguit inter fidem ad tempus in primitivâ Ecclesia durantem miraculosam, montes transferentem *v. 2.* Et inter fidem perpetuâ, in hac vita apud pios credentes manentem *v. 13.* Proinde non licet inferre: *v. 13.* agitur de fide salvifica semper in Ecclesia apud pios manente. Ergo fides quæ montes transfert illa ipsa fides justificans. Plus hîc est in conclusione, quam fuit in præmissis. At inquit Bellar. *August. de Trinit. lib. 15. cap. 18.* dicit, fidem sine charitate esse posse, sed non prodesse. Respond. loquitur August. de fide non verâ Christianâ, impium justificante, (de qua unice quæstio est,) quando illâ sine charitate esse posse ait, sed sermo ipsi est, de fide historica, Dæmonibus quoque competente. Ita enim inquit: Apostolus fidem, quæ per charitatem operatur, discernit ab ea fide quâ & dæmones credunt & contremiscunt, & de illâ ultimâ, fide dæmonibus quoque competente dicit, quod possit esse sine charitate. Quæ verò consequentia: fides historica dæmonibus quoque tributa potest esse sine charitate. Ergo fides vera christiana impium justificans? unde evidens est, à rebus diversissimis pessimam esse illationem. Et ne quis hac de re dubitet, audiamus ipsum August. *Tom. 10. p. 799.* ita dicentem: sine dilectione fides est inanis & dæmonis. Unde colligitur, fidem sine charitate non esse veram christianam impium salvantem, sed dæmoniacam.

33.5. In aciem producit testimonium Jacobi, qui affirmat fidem sine operibus non justificare, & tamen sine operibus inveniri posse, quia dicat: Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare illum. Resp. à dici ad inesse nulla hîc est consequentia. Proinde, etsi hypocritæ affirmant sive dicant, se habere fidem; anne hinc sequitur, quod fidem veram, Christianam, justificantem habeant? Dicit insipiens: non est Deus *Psal. 14. v. 1.* dicunt impij Simonem magum esse *ἄνθρωπον τῆς Θείας Αἰῆς. 8. v. 10.* Dicunt impij se esse Apostolos veros, veros Israëlitas *Apoc. 2. v. 2. 9.* dicit Theudas se esse Messiam *Act. 5. v. 36.* dicit Angelus Ecclesiæ Sardis quod spiritualiter vivat, dicit Angelus Laodicehsum Ecclesiæ dives sum *Apoc. 3. v. 1. 17.* Et tamen textus in omnibus illis locis testatur falsissimum esse quod ibidem dictum. Falsissimum enim

nim est non esse Deum, Simonem Magum esse virtutem DEI, falsos Apostolos esse veros Apostolos & Israelitas DEI, Theudam esse Messiam, pastorem Ecclesiæ Sardis spiritualiter in peccatis mortuum, vivere spiritualiter, & alterum divitem esse. Et tamen omnes illi dicunt se id esse, quod revera non erant. Proinde immotum manet: à  $\text{\textcircled{D}}$  dicere ad inesse nullam semper firmam esse consequentiam. Quamvis ergò *Jac. 2. v. 14.* hypocritæ (de illis enim textus agit) dicant se habere fidem veram Christianam, hinc nulla ratione sequitur, quod habeant. Quilibet enim facîle intelligit inter hæc duo immensum esse discrimen & unum ex alio minimè sequi: Dico me habere, & revera habeo: prius (falsò tamen) de se dicit hypocrita, posterius autem non habet. confer phrasin. *Matt. h. 23. v. 3.* ubi pharisæi multa dicunt, sed non faciunt. Ita & hypocritæ apud Jacobum dicunt se habere, sed non habent.

34. Sed explicat Bellar. locum Jacobi, cujus hanc dicit esse sententiam. Si quis fidem habere se dicat, id est, si quis sola fide fretus, eam jactet, seq; ea contentum esse affirmet, &c. Apostolum enim ea phrasi noluisse negare, fidem esse in ijs qui non operantur, perspicuum esse ex verbis sequentibus: Numquid fides poterit salvare illum? Respon. vel ipse verborum sonus, ne quid de re ipsa dicam indicat, diversissima esse: dicere se habere fidem; vel, ut cum August. *Lib. 21. de div. Dii cap. 26.* loquar, si quis videatur habere fidem Christo: & aliquem fiduciam ponere in vera & justificante fide. Posterius textus non dicit. Esto verò, quod ille qui fidem se habere dixit, fidem habuerit; nihil aliud nomine fidei, nisi historica Diabolis quoque competens, religionis notitia indigitatur vide *Jac. 2. v. 20.* De hac rectè affirmo, quod talis fides historica, nuda articulorum fidei notitia, dæmonibus quoque competens, hominem coram severissimo DEI tribunali non salvat. Quæ verò consequentia: Fides historica, hominem coram DEO non salvat, ergò Jacobus loquitur de verâ Christianâ pium justificante fide? Quod unice in quæstione est.

35. Tandem Parres in proscenium producit Bellar. sed illi sententiæ Bellar., fatente ipso Salmerone Jesuita in epist. Jacobi p. 25.

non

non adstipulantur: Quanquam nonnulli ex patribus antiquis aliter locuti sunt, definiētes veram fidem non esse, quæ opera non habeat: & allegat Didymum, fidem opera non habentem, fidem esse negantem, cum illo Bellar. transigat. Deinde Bellar. quos allegat Patres, illi loquuntur partim de fide historica, dæmonibus quoque tributa, partim inani fidei jactantia. Quod inspectio locorum allegatorum ostendit. *Cyrillus Lib. 10. cap. 18 in Job.* loquitur de fide quæ & in Dæmones cadit, ita enim ait: si fides sola sufficeret, multitudo dæmonum non periret, dæmonia etiam credunt & horrescunt *Chrysostom. hom. 2. in Epist. ad philm.* inquit: fides sine operibus mortua est. *August. de unico Baptis. cap. 10.* ait: id quod dæmones de DEO credunt, verum esse propter odium dæmonum, non negandum. Quæ omnia non probant id quod est in quæstione, fidem scilicet veram Christianam, salvificam, esse posse sine operibus bonis, imò cum malis operibus, utpote adulterio aliisque lethatis peccatis, ut loquitur *Concil. Trident. sess. 6 cap. 15. conjunctam.* *August. Tract. 83. in Johan Dæmon credit nec diligit.* Quis hoc negat? Et *Ambrosius Lib. 9. Epist. 74* nihil habet quid Bellar. sed nobis potius patrocinetur. *Initio* ait: si Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam, utiq; ex fide justificamur, non ex operibus legis. Unde colligitur quod ij magis Abraham filij, qui ex fide. Item: Si is qui credit quia Jesus est Christus, de Deo natus est, & qui de Deo natus est non peccat: utiq; is qui credit, quia Jesus Christus est, non peccat: si quis autem peccat, non credit. Hæc allegato loco *Ambros.* quæ *Bellar.* sententiæ nullo modo favent, sed eandem potius, ut quilibet videt, impugnant. *Chrysost. hom. 9. in Job.* nihil aliud dicit, quam fidem ad salutem non satis esse, quæ veteri coinquinata sit malitia. Illud nobis non adversatur, utpote qui fidem sine factis mortuam fatemur. *August. de Agone Christiano cap. 3.* ait: Fides in Ecclesia brevissimè traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi à carnalibus non possunt, nihil contra nos dicitur *Tract. 10. in Epist. Joh.* ait: credit aliquis in Christum, sed odit Christum, loquitur de nuda notitia historica, qui enim verè in Christum credit salvificè, impossibile est, ut ille Christum



odio prosequatur, proinde eodem loco inquit August: sine dilectione fides inanis est, cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Unde de qua fide August. loquatur facile colligere est. Hactenus ergò contra Bellar. probavimus, fidem veram Christianam justificantem, non posse esse sine virtutibus Christiano homine dignis; qui enim dicit, novi Christum & præcepta ejus non servat ille mendax est, & in eo veritas non est *1. Joh. 2. v. 4.* Et quia fides verè Christiana justificans, est inftar bonæ arboris, proinde bonus homo è bono cordis & fidei thesauro depromit bona *Matth. 12. v. 35.* Et qui jussu Dei observat, ille Deum novit *1. Joh. 2. v. 3.* Hinc qui malè agunt dicuntur fidem negasse *1. Tim. 5. v. 8.*

36. Ipse Judas proditor, dicitur esse ex numero non credentium *Joh. 6. v. 64.* Quia proditorem esse, & habere veram justificantem fidem, invicem pugnant. Ubi frustra Bellar. *Lib. 7. cap. 15.* ait, Judam proditorem non credidisse Christum esse verum Deum, aliàs Christum non prodidisset. Quis enim persuaderi sibi pateretur, Judam ipso fuisse deteriolem Diabolo. Diabolus cujus instinctu & instigatione Judas Christum prodidit (vide *Luc. 22. v. 3. Joh. 13. v. 2.*) Deitatem Christi non negat. *Mar. 1. v. 24.* Unde Jacobus Diabolo fidem historicam tribuit *Jac. 2. v. 19.* Quomodo itaq; hic discipulus esset supra præceptorem. Et quod Diabolus ipse fateri invitus cogitur *Pbil. 2. v. 10.* Id Judas certè non negat *conf. Marc. 5. v. 7.* Non enim proditor factus deposuit omnem notitiam, quam antea habuit, licet filialem in Christum fiduciam planè amiseric. Manet itaq; invictum: fidem veram salvantem, nullà posse ratione à virtutibus Christianis separari, & qui id affirmat Quinti Evangelij esse professorem.

37. Antequam disputationem hanc concludam, libet attexere historiolum, quæ non ita pridem Osnaburgæ in Westphalia contigit. Illa enim Thesis nostram: *Pontificios Quinti Evangelij esse professores*, valdè corroborat. Cum antè triennium & quod excurret, in æde Cathedrali, ut vocatur, Osnaburgi obambularem ac antiqua monumenta contemplerer, incidi in versus parieti sive altari quidam inscriptos, verè Evangelicos, in prima disputatione Theol. 9.

cx.

expressos, quorum summa est: Christum *solum* habere salutis nostræ solamina, quippe cum *solus* mundi crimina collat, proinde fidentibus spiritualiter *gratis* offertur potus spiritualis cum hac conclusione:

*Qui bibit hunc fontem fidei non gutturis haustu*

*Vivet in æternum: sufficit alma fides.*

Cum versus istos legerem, accidit ut quidam Vicarius (sicuti illi vocantur, qui aliorum vices sustinent) præteriret, cui cum versus hos ostenderem, & num antè legisset quærerem, respondebat: se nunquam legisse, mirabar quò factum; ut, cum singulis diebus aliquoties locum hunc, (choro vicinum versus meridiem) officij ratione præteriret; tamen versus hos verè aureos nunquam legerit! hortabarq; hominem, ut nunc eosdem legat, & quidem non oscitanter, sed cum attentione, imprimis verò ultima verba: *sufficit* (ad salutem) *alma fides*, altiùs consideret. Legit itaq; & cū semel atq; iterum legisset tandem dixit: *miror nostros superiores id non vidisse.* Cum antè tempus semestre anno superiore eundem locum præterirem, visum, num illi versiculi adhuc ibidem essent adscripti, non sine admiratione sententiam illam verè aureã, imagine Christi crucifixi testam, ne à prætereuntibus videri nec legi queat, deprehendi. Sed tu quisquis es, qui divinam hanc veritatem, de qua, vobis tacentibus, parietes vestri testantur, vosq; erroris arguunt, imagine Christi Crucifixi voluisti occultare. Num cogitas quid feceris? exactè scil. in te quadrat locus Apostoli 2. Cor. 4. v. 3. 4. Quod si velatum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt velatum est. In quibus Deus hujus seculi excecavit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Evangelij. Voluisti veritati addere velamen, ut in numerum, hoc in tertio, incredulorum Judæorum recipere-  
ris, de quibus Paulus ait 2. Cor. 3. v. 15. velamen cordibus illorum impositum est. Nec, crede mihi, imago Christi Crucifixi, quam nos, Bezam imitantes non detestamur, in Coll. Mompelgart. p. 418. hanc veritatem obnubilat. Qui enim oculis fidei Christum intuetur crucifixum: qui de cruce quasi clamat:

*Aspice qui transis cum sis mihi causa doloris*

Ille

Ille suis propriis operibus imperfectis, aliàs debitis nullam cum vita æterna proportionem habentibus, nihil tribuet; sed in Christo Crucifixo, unicè acquiescet ex animo, dicens:

*Glorior in solo crucifixi nomine Christi.*

Quia ergò Christus peccata nostra ipse pertulit in cruce 1. Pet. 2. v. 24. Hinc qui imaginem Christi crucifixi intuetur, & animo rem ipsam imagine ista ostensam, & legere non valentibus præfiguram, verà devotione volvit, verè dicit, nec aliter potest: ad salutem sufficit Christus Crucifixus, & consequenter fides alma sufficit ad salutem, à Christo sanguine suo acquisitam, apprehendendam., conf. *Act. 16. v. 31.* Falsum ergò est: per facta venit ad astra, sicuti in Epitaphio dicti templi Cathedralis dicitur. Sed hinc, exclusi spatii iniquis, hac vice subsistimus, & quæ ad hanc materiam ulterius spectant, futuræ disputationi reservamus.



### COROLLARIUM.

*Non refutatione, sed obsummam inscitiam, commiseratione digni sunt, Gerardus Johannis præses, & Adrianus Adriani respondens, quando ante annum, hoc ipso mense Januario Bilefeldia in Westphalia, in conventu F. F. Min. Strictè observantium hoc ponunt Corollarium: Quod impertinens, non sine omine appellant: Multum honoramus reliquias sacras, maximè tamen caput S. Michaëlis Archangeli, quod Bilefeldiæ asservatur. Anne Bilefeldia Archangelus Michaël Spiritus completus, corpus habuit, cujus caput certo loco asservari possit!*

*Quæ hæc est vesania!*








diante suas propriè exercet operationes, in plantis a-  
 vivit, viret, alitur augetur. In brutis anima sentie  
 animalibus residens, suas habet animæ huic competi-  
 In hominibus anima rationalis non est otiosa, sed  
 corporiq; est conjuncta, nunquam interruptos planè  
 quos *ivegyetas* appellitare solent. Hæ actiones om-  
 nibus propriè & consecutivè essentialiter competunt,  
 tam in plantis, remove operationem animæ senti-  
 tolle respirationem ut Jacobus loquitur, in corpore h-  
 struxisti, plantam, brutum, hominem. Quando er-  
 quit: sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fi-  
 bus mortua, nihil aliud indicat, quam fidem illam,  
 esse inanem hominum improborum fidei jactantia  
 dem inanis homo sive hypocrita v. 20. dicat se habere  
 vis sit omni motu destituta, & revera fidem non habet  
 est dicere se habere, & aliud verè habere. Quema-  
 corpus animatum operationibus ex anima (sive veg-  
 tiens, sive rationalis illa sit) provenientibus destitu-  
 dicitur animatum corpus, ita fides, sine operibus  
 verbalis, in lingua solum nata, æquivocè sit fides.  
*Salmerone disp. 3, in Epist. Jacob. p. 25. ex Didymo:*  
 neq; fides est: nam neq; homo mortuus homo est.

19. Rogerit Bellar. vitam non esse de essentiâ fid-  
 dum est de essentia hominis; sed per metaphoram  
 vam cum operatur, mortuam cum non operatur.  
 exemplo aquæ, quæ dicitur viva cum continuò flu-  
 fluvijs mortua, quæ non movetur, ut in stagnis & p-  
 tamen utraque verè aqua sit. Resp. circa hanc Bella-  
 incidit locus. *Esai. 1. v. 22.* quem vulgatus ita expressi-  
 tum versum est in scoriam, vinum tuum mistum a  
 fide verà Catholicâ, ut illam nominant Papistæ, rectè  
 vera est exceptio Bellar. illam in aquam versam. D-  
 est in re tam gravi, tamque arduâ *Πεπραχον* aliqui  
 pistiæ, sicuti Bellarminum vocare solent, tam turpi



the scale towards document